



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XXVIII. Duodecima morborum caussa, vt per eos non solùm vitia deponantur, sed etiam variæ virtutes exerceantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

C A P V T X X V I I .

Duodecima morborum caufa, ut per eos non solùm vi-
tia deponantur, sed etiam varia virtutes
exerceantur.

Estatur Chrysostomus, morbos corporis à Christo non I.
nisi propter morbos animi fuissent curatos; quid ni, etiam S. Chrysost.
propter eosdem curandos, immisso? non enim nisi in-
firmi ad medicum cucurrisserent. Quemadmodum autem vua-
premitur, vt vinum fluat, ita benignitas Dei premit peccatores,
vt ex eis lachrymæ exprimantur. Lachrymæ verò sunt balsamū,
quo sanantur omnia vulnera animarum. Itaque ex morbis non
solùm bonitas miserentis D e i cognoscitur, & nos ad pœni-
tentiam adducentis; verùm etiam animæ recuperant sanitatem,
& diuinis viribus mirificè corroborantur. Atque hoc est, ni
fallor, quod voluit dicere Paulus, quando scripsit: Cùm infirmor. 2. Cor. 12. 10.
tunc potens sum, quia corporis infirmitate interiores animæ vires
redduntur potentiores, atque ex imbecillitate & vetustate ho-
minis exterioris, interior nouis viribus, ex hoste nostro dome-
stico, carne videlicet debilitata & fracta, acquisitis, fit vege-
tior. Qua de caufa & Plato, pro Academia sua, non locum
amoenum & floridum aëremque salubrem, sed humidum & pa-
ludosum ferrur elegisse, minusque sanum; dicens, hunc esse lon-
gè ad philosophandum aptiorem; ed quod corpore malè affecto,
animus bene afficeretur; qui plerumque corpore luxuriante, &
ipse insolescit. Quare adeò locum illum amauit, vt eum, ne ad
vitæ quidem prolongationem vellet deserere. Verba Æliani Ælia. lib 2.
sunt: Cùm Academia diceretur locus esse pestilens, & medici consiliū variar. c. 10.
darent, ut in Lycéum scholam transferret, nequaquam obtemperauit,
dicens: Atqui ego producenda vita caufa, ne in Atho quidem summi-
ratem transmigrare velim. Multis nimia sanitas insanæ caufa
fuit. Et certè multa vitia indigent membrorum sanitatem viribus-
que corporis, vt quæ ex audacia, aut nimio concupiscentia fer-
uore oriuntur. Rarò alterum in duellum prouocabit podagrī-
cus: numquam latrocinij se alet paralyticus. Cacostomachus
non onerabit se crapula. Nec pericitatur de ebrietate, qui vini
nauseam

288 Cap. XXVIII. Duodecima morb. causa, ut virtutes excitentur, nauseam patitur. Nec in Venerem feretur, quem corporis dolores non sinunt cogitare de voluptate. Quia autem homo conditus est ad beatitudinem consequandam, impeditus ne corpus percipere possit delectationem, animi delectationem querit, & inuenit, multarum enim virtutum occasio est inualetudo.

II.
Eugipp. a-
pud Sur.
6, Ianuarij.

Matth. 5. 29.

Virgil. Eclog.
8.
2. Reg. 13. 2.

Thren. 3. 51.

III.

Eugippus Abbas refert, S. Seuerinum multos varijs languoribus ac ærumnis affectos liberasse; quod cum audiret Bonifacius eius Monachus, oculorum imbecillitate vehementer vexatus, eum adibat, ut orationibus illius & ipse medelam posceret. Discerbat igitur: Aduentios & externos gratia salutaris sentire praesidia, sibi verò nullam opem aliquatenus exhiberi. Cui Seuerinus respondit: Fili mi, non tibi expedit ab hac oculorum molestia liberari, & aciem corporei luminis habere perspicuam; quin potius ora, ut obtutus vegetetur interior. Quid enim? an non magis grata & jucunda lux illa interna esse debet, qua per amplissima cali spatio mente vagaris, quam corporeum hoc lumen, quod tibi cum bruis commune est & extantum, qua ante pedes sunt, cernere vales? Plerumque, qui oculos longè lateque in fines terræ mittunt, mentem amittunt. Praestat ergo corpore, quam animo esse cæcum. Inter externa corporis bona, nihil homini charius est oculis, & tamen Christus dixit: Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erne eum, & proice abste: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Fuit inter profanos, qui oculos sibi exculpavit, ut posset philosophari: cur homines altiora sperantes, non patienter ferrent, immo beneficij loco haberent, si cæci esse sinantur, ut possint diuina speculari? immo ne oculis venena hauriant? Ut vidi, ut perij, ut me malus abstulit error! inquit ille. Accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regie, viditque mulierem se lauantem, ex aduerso super solarium suum, erat autem mulier pulchra valde. Notum est, quid inde euenerit. Mutatus est, quasi Medusam aspexisset. Quam illi profuisset, si tunc oculis caruisset? Non sine causa lamentatus est ille: Oculus meus depredatus est animam meam in cunctis filiabus urbis mes. Quis ægræ fert, si ab eo prædones amoueantur?

Tempore pestis, corrupto aëre, libenter & diligenter claudimus

dimus fenestras ædium nostrarum, ne quid infectionis admittatur. *Ascendit mors per fenestras nostras, per aures, & præcipue per Ierem. 9. 23.* oculos nostros: si ergo Deus eas nobis fenestras claudit, ne fascinemur, aut ne prædo Stygius intret, cur ei gratias non agamus, cùm sancti id legantur sponte amplexi, immò optauisse? B. Albertus septimus à S. Vedasto Atrebatenensis Episcopus, mirifica quadam visione admonitus, ut sacram B. Vedasti corpus ad locum quemdā alium, non longè ab urbe situm transferret; protinus ad facti illius societatem B. Audomarum, Tarueonæ Morinorum, ea tempestate, Episcopum invitauit: qui licet affecta senectute debilior esset, & cætitate laboraret, prompto tamen alacriqué animo eò properauit, &c, in ipsa sacratum translatione reliquiarum, amissum lumen Vedasti meritis recepit. Quod tamen ille, præ lumine mentis, quo mirabiliter vigebat, parui pendens iterum amittere voluit: atque pristinam oculorum cæcitatem precibus à Deo impetravit. Nimirum illud expertus est, quod Paulus insegnouit, dicens: *Cum infirmor, tunc potens sum, cùm nihil vi-* 2. Cor. 12. 10. *deo, multum video. Non video cæcus vanitatem, video veritatem. Mens enim, qua veritas videtur, oculis non indiget; sed tantò acutius diuina arcana penetrat, quantò minus de terrenis intuetur. Mira sunt, qua de ingenio, perspicacitate, & pruden-* Cùm de mœ- *tia cæcorum alibi à nobis sunt memorata, hic sufficiat illud de* stris agere- *Appio cæco dictum:* mus, tom. 3.

Multum animo vidit, lumine captus erat.

Neque sanè cæcitas sola corporis animum illuminat, verum etiam omnes reliqui morbi & calamitates homini ostendunt, quis sit. Superbiā igitur dedocent, docent humilitatem. Louis se filium credebat Alexander, & propemodum se ipsum in Deorum numerum retulisset. Sauciatus est; sanguis illi deplaga missus est; &c

IV.

Sanior ex ipso vulnera factus erat.

Multi ob fortunæ fauorem, & res domi belluè feliciter gestas, sibi nimio pere placent, &c, si non Deos, saltem semideos se esse arbitrantur; ast ubi in morbos incident, tum languor, & dolor, & humanae miseriæ ostendunt, eos esse homines, & suam illis ob oculos ponunt fragilitatem. Cuius & Alexandrum Louis Ellan. lib. 2^o prolema

Variar. c. 37. prolem Anaxarchus cognomento Eudæmonicus, ut alibi etiam retuli, admonuit, quando ei vidit sorbitiōem à medico præparari ægrotō; inquietabat enim: *At nostro Deo spes omnis in sorbillatione patella posita est.* Antigonus autem, item Macedonum rex,

Plutarch. In Apophth. reg. postquam à graui morbo conualuit; *Hic morbus, aiebat, submo-*

nuit nos, ne animo efferamur, cùm simus mortales. Ad auditas dum taxat minas Achab scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem

3. Reg. 21. 27. suam, jejunauit q̄, & dorminit in sacco, & ambulauit demissō capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: *Nonnè vidisti humiliatum Achab coram me?* Longè magis, si sapiunt, humiliantur, quos morbi corripiunt; illi corpore extenuantur, sed simili etiam animi tuncorem deponunt; illis inualetudo vires de corpore detrahit, sed animo etiam detrahit insolentiam, morbum longè periculosissimum. Quare non est morbus tam inter in-

commoda, quām inter Dei dona numerandus, qui animo plus reddit, quām corpori aufert. Et, si cetera desint, infirmitas gravis

S. Greg. Naz. febriam facit animam, *Honestum esse censeo, te dolori resistere,* ait S. Gregorius Nazianz. atq; animo, vel nunc maximè expurgari, ac morbum nihil aliud esse dicere, quām utilem quamdam institutionem, hoc est, ut & corporea omnia, & quicquid fluxum est, & caducum, affernans, totum te calesti parti addicas, nec praesenti tempori, sed futuro tuo viinas, mortisq; meditationem, vt Plato ait, hanc vitam existimes.

V.

Apud Ref. vveid, lib. 2. contra tentationes corroborantur? Minus tentari asseruit Antonius Abbas, cùm dixit: *Non permittit Deus bella excitari in trum.* libello generatione hac, quoniam scit, quia infirmi sunt, & portare non possunt. Imponit enim clemens Pater onera viribus attemperata.

a. Cor. 10. 13. Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proueratum, ut possitis sustinere. Hoc

a. Cor. 12. 8. est, quod idem alibi ait: *Virtus in infirmitate perficitur.* Quòd enim maior infirmitas nostra, cùm maior contra eam à Deo fortitudo suggeritur. E: si enim ibi, per infirmitatem, tentatio carnis intelligitur; facilè tamen etiam inde deducimus, tanto nobis maius animi robur suppeditari, quanto corpus magis deficit, aut tentatur, si ea infirmitate velimus uti. Quamquam etiam ipsam car-

mit

Cap. XXVIII. Duodecima morb. cauffa, ut virtutes excitentur. 291
nis tentationem elidit, corporis afflictio, quæ multis pro clypeo
suit, ne & ipsi tentarentur, & alios tentarent. D. certè Ambro-
sus, mox verbatim citandus, adolescentē scribit mira venustatis,
cùm videret, sua specie multas illustres feminas solicitari, vul-
tum suum vulneribus deformasse. Luculentum est illud, quod re-
fert Cantipratanus de Sueua nobilissimæ & formæ, & prosapiæ,
& famæ, quæ suam & aliorum castitatem, ut tueretur, lepram à
Deo exorauit; eaque in mariti gratiam, ex Confessarij præcepto,
per preces iterum excusestā, palam fecit, corporis maculis animi
integritatem seruari; viresque, quæ membris decedunt, menti
accedere. Quemadmodum in contrarium multi tantò sunt ani-
mo timidiore, quantò corpore validiore. Itamus miles, apud Bruf. lib. 4.
Antigonum militabat, qui corporis aduersa valetudine cùm la- cap. 15.
boraret, rogatus à rege palloris cauffam, ægritudinem incogni-
tam caussatus est. Rex verò animi magnificentia ductus, jubet
remedia adhiberi ad eum sanandum. Restitutus igitur sanitati
miles, postea omnia, contra mortem, pericula vitabat. Regatus
verò à rege mutationis cauffam, ait: *O rex, tu me minus auda-
cem fecisti, quod ijs malis me vindicasti, quibus vita à me mea con-
temptui habetur.* sensit miles, ægritudinem hominibus in eo pro-
delle, ut omnia fortunæ bona, & ipsam etiam vitam miseram,
& ærumnosam contemnaant, qua cùm sani sumus, in nostram
perniciem abutimur.

Multi sani, mulci pulchri, multi formosi, multi membris
integri, & insidias passi sunt, & negligentes fuerunt in custodien-
da virtute, qui ægri, deformes, mutili, fortissimè illecebras om-
nes vicerunt, aut certè è cœno suo emerserunt: Nobile exem-
plum refert D. Ambrosius, de adolescente Etrusco, qui cùm ob ad-
mirandam oris proprij pulchritudinem in amorem accenderet femi-
nas, fortur stigmatibus in araffe vultum suum, ne qua cum adamare
posse. Aliud recenset D. Hieronymus de juvene, qui præcisam
morsu linguam in oculantio se scorti faciem expuit, ac sic libidinis sen-
sum, succedente doloris magnitudine, superauit. Quàm longè præ-
staret multos cicatricibus in vultu potius, quàm spurcitij
in animo esse deformatos? Quàm satius esset, eos lingua carere,
ne spurcidicis sermonibus aliorum aures venenarent? Quàm
Oo 2

Thom. Can-
tiprat. l. 2.
Apum, c. 3a.
§. 29.

VI.

S. Ambros.
lib. 3. de vir-
gin. & Ex.
hort. ad virg.
S. Hieronym.
in Paulo
Eremita.

292 Cap. XXVIII. Duodecima morb. caussa, ut virtutes excitentur.

Prat. Spiritus, utilius, oculis carere, ne oculati in gehennam mitterentur? Ita enim legimus in Prato spirituali de Virgine Alexandrina, quæ aduertens, suorum oculorum pulchritudine captum adolescentem, oculos sibi eruit; ut mundo corde Deum videret. Neque alia de caussa voluit D. Petrus filiam suam Petronillam ægrotare,

Ex Actis S. Neroi & Achillei, cap. 9. apud Sur. 23. Maij. Cùm enim aliquando B. Petri Apostoli discipuli, in ædibus illius simul ederent, unus eorum Titus nomine Petrum interrogavit: Cùm permulti à te curentur, cur Petronillam filiam tuam pateris ex paralysi decumbere? Respondit Petrus: Sic ei expedit. Ne quis tamen putet, me his verbis indicare voluisse, fieri non posse, ut sanetur, volo, ut surgat & ministret nobis. Dictum, factum. Mox enim illa incolumis surrexit. Expleto autem ministerio, jussit eam Apostolus redire ad lectum suum, ac denuò ægrotare. Infirmitate potens facta est, & Christo penitus addicta. Postquam igitur in Dei timore satis profecit, non modò ipsa curata est, sed etiam permultis alijs, precibus suis, obtinuit sanitatem.

VII.

Pallad. in hist. Lauf, cap. 20.

Quemadmodum autem Petronilla morbus profuit ad virtutes adipiscendas, castitatemque conseruandam, ita alijs remedium fuit ad vitium luxuriæ deponendum, relinquendasque illicitas corporis voluptates. Cùm enim contraria contrarijs curentur, dolor pepulit amorem turpium voluptatum, quæ doloris caussa extiterunt. Palladius in historia Lausiacæ agens de S. Macario Alexandrino, Ego, inquit, ad eum acceſſe aliquando, & extra cellam innueni jacentem quemdam vici presbyterum, cuius caput ita erat exesum à morbo, qui dicitur cancer, ut etiam os tonsus appareret in vertice. Is acceſſit ad ipsum, ut curaretur; nec eum admittebat ad colloquium. Rogavi autem eam dicens: Misericordia huīus miseri, & saltē da ei responsū. Is verò mibi respondit dicens: Est indignus, qui curetur. Quod si velis eum curari, persuade ei, ut deinceps abstineat à ministerio sanctorum Sacramentorum. Ego autem ei dico: Quamobrem, quæd? Is verò dicit: Fornicans sacrūm peregit ministerium, & ideo castigatur. Nunc ergo si mutu desistat ab eo, quod ausus est facere per contemptum, Deus ipsum curabit. Cumq[ue] spondisset, se facturum, sanctus ei manu imposuit, & paucis diebus curatus est, capilliq[ue] eius creuerunt, & sanus domum rediit. Hoc est nimicum, quod Propheta dixit, petijtque: Implo facit

facies eorum ignominia, & querent nomen tuum, Domine. Ipsi sa-
piunt nonnulli; & postquam experientur fructum suæ delecta-
tionis mala esse cruciatum, aiunt: *Non emo penitere tanti.* Ad
huiusmodi hominum morbis sanatorum exemplum recte monet
S. Augustinus: *Flagellum Dei ne contemnas, sed flagellatus dic Deo* S. Aug. 11b. 11
gratias. *Dilige corripiem, dilige corrigenem, diligē arguentem,* de visit. in-
Diligis medicum secantem, non quia cum cruciatu fecat, sed firma. cap. 4.
quia fecat ad sanitatem. Dilige & Deum, quia per morbos hic
vrit, hic fecat, vt in æternum parcat sanato.

Hac de caufsa, divina sapientes & se, & suos, quos ex ani-
mo dilexerunt, torqueri in hac vita & morbis, & ab ipsis malis
spiritibus maluerunt, quām peccatis sibi maiora in inferno tor-
menta accumulare. In historia miraculi de venerabili Sacramen- In Breuiario
to ciuitatis Amsterdamenis in Hollandia (quæ tam authenticæ Eccles. Ams-
t. ut per octauas Festi, in secundo nocturno, per lectiones di- ferd. 103. 11
uisa sit, approbante Episcopo Harleiensi) habetur eiusmodi
exemplum. Matrona quedam eius urbis, multo tempore decum-
bens ex infirmitate, votum fecit Sacramento, vt sanaretur. Ab-
sens tunc erat maritus; femina domi dominabatur. Itaque sui
juris, jussit se ad Sacrum locum (ita enim templum, in quo mi-
racula siebant, vocabatur) deduci; ibi pro sanitate recuperan-
da impensè Deum rogauit. Quām verè dixit Christus: *Nescitis, Matth. 26:
quid petatis?* Sæpe enim, velut infantes cultrum, noxia magis, 22:
quām utilia petimus. Ita & hæc matrona petiuit, quod melius
fuisse, non impetrari. Petiuit, & obtinuit sanitatem. Itaque
suis pedibus, atque incolumis è templo domum rediit, quò por-
tata fuerat manibus alienis. Existimabat itaque, præclare secum
fuisse actum. Exultabunda igitur, marito suo domum ex itine-
re reuerso, rem vti gesta erat, narravit. At maritus diuina judi-
cia altius scrutatus interrogauit eam, num sanitatem à Deo po-
stulârit, adiecta illa condicione, si anima sua saluti prodeffet? cui
illa respondit, se sine vlla condicione sanitatem petiisse. Quod
vbi intellexit maritus, redire eam ad Sacrum locum jussit, & id à
Deo petere, quod suæ saluti magis conueniret. Paruit vxor ma-
rito, ad templum reuersa, precata est, id sibi vt daretur, quod
animæ sua saluti maxima conueniret. Etecce, mox eadem, qua

VIII.

O o 3 prius;

294 Cap. XXVIII. Duodecima morb. causa, ut virtutes excitentur.

prius, infirmitate correpta est; manifesto indicio, plus ei morbum, quam sanitatem profuisse. Quid, quod longe optabilis est quibusdam, ab ipso cacodamone insideri, quam eo liberum flagitiosa vita Deum offendere? De B. Abbe innocentio supra

Pallad. in
hist. Lauf.
cap. 103.

laudatus Palladius haec narrat. Cum is fuisset illustris in palatio inter magistratus Constantini Imperatoris, mundo renuntiauit, profectus a matrimonio. In quo etiam habuit filium Paulum nomine domesticum, qui militabat. Is cum peccasse in filiam presbyteri, impetratus est proprio filio Innocentius, Deum rogans, & dicens: Domine, da eis spiritum, ne amplius inueniat eius caro tempus peccandi: melius arbitratus, eum pugnare cum demone, quam cum intemperantie. Quod etiam factum est. Nam nunc quoque adhuc est in monte olivarum ferrum gestans, & castigatus a Spiritu. Recte sensisse ac fecisse Innocentium hunc, suo exemplo Paulus docet; qui cum de alio homine impuro intellexisset, ita ad Corinthios scripsit: Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicauis prasens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri IESV Christi, congregatus vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri IESV, tradere huinsmodi satana in interitum carnis, ut spiritus saluus sit, in die Domini nostri IESV Christi.

I X.

Psal. 83. 8.

Matth. 8. 5.

Matth. 9. 18.

Vidimus, hucusque, multis sanitatem nocere, prodeesse infirmitatem, qui corpore debilitati, animo fiunt forciores; inspiciamus nunc, quibus gradibus ergo teneant de virtute in virtutem. 1. Morbis afflitti, toti in eo sunt, ut circumspiciant de medico & medicina: ita leprosi, ita cæci, ita mulier, que sanguinis fluxum patiebatur ad Christum cucurrerunt: ita cum introrsus Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens, Domine puer mens jacet in domo paralyticus, & male torquetur: ita princeps unus accessit, & adorabat eum diens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.

2. Quia saepe docta plus valet arte malitia, nec est in medico, ut humana ope ager releuetur; excitatur fides, ut credant infirmi plus posse Deum. Sic accendentibus ad se cæcis dixit IESUS:

Matth. 9. 28. Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vix, Domine. Et Matth. 9. 22. ad mulierem: Confide filia, ait Christus, fides tua te salvam fecit.

Matth. 8. 13. Et ad Centurionem: Vade, &, sicut credidisti, fiat tibi. Itaque &

in

in illis morbus est occasio credendi, qui sanantur, & in ijs, qui pro sanando rogant; immo & illis, qui vident sanatum. Cognosuit pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei IESVS: *Filius meus es tu.* Ioan. 4: 34
uit: & creditit ipse, & dominus eius tota. Quin & haereticos non-nulos nouimus, qui, cum alias Sanctorum inuocationem risissent, postquam eorumdem inuocatione, Catholicorum consilio, adhibita, conualuisserent, fidem etiam Catholicam amplexi sunt.

Quemadmodum & Naaman Syrus, ob beneficium sanitatis à 4. Reg. 5. 17.
Propheta impetratum, transit in religionem Israëlitarum, & creditit in illum, quis sanat omnes infirmitates. Inter indicia certè Psal. 102. 5.
fuit Messias, eum agros sanauisse ad diuinitatem suam demon- Matth 8. 16.
strandam. Hinc Matthæus ait: *Obtulerunt ei multos demonia habentes: & eisiebat Spiritus verbo: & omnes male habentes curauit: I. Petr. 2. 24.*
ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem. Ipse infirmitates nostras accepit: *& agnationes nostras portauit.* X.

3. Fidei credentium, se posse bonam pristinamque valetudinem diuina ope recuperare, facile se sociat spes. Libenter enim, quod optamus, speramus, si fieri posse non dubitemus. Hiac morbus, qui corpus agrauat, mentem ad Deum attollit, facitque agros, quod desiderant, flagitare. *Tristatur aliquis vestrum ore, & tursum. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesia, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alieniabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ferè omnes, quos Christus sanauit, vel sua, vel aliorum oratione, sanitatem impetraverunt. Ezechias quoque usque ad mortem ager, conuertit faciem suam ad 4. Reg. 20. 26
parietem, & orauit Dominum, & obtinuit adhuc quindecim vitæ annos. Non orasset, nisi sperasset; neque sperasset, nisi eam Deo sanandi potentiam esse creditisset. Ut ergo crederet, ut speraret, ut oraret, morbus in caussa fuit. Hoc ipsum monuit sapiens: *Fili, in infirmitate, ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & Eccli. 38: 9.*
ipse te curabit. Numirum idcirco, diuina providentia, per morbum corpus deiicit in lectum, ut animus agroti in cælum erigatur. Itaque erigitur, quia cogitat, Deum adeò esse sapientem, ut non possit descire, quid quisque patiatur, at dolores occulissimos, eorumque radices, caussas, remedia nōrit: & vires cuius-

296 Cap. XXVIII. Duodecima morb. causa, ut virtutis exortentur, cuiusque ad illos tolerandos dolores; quas vires augere queat, si expedit; ut & morbos sua potentia tollere, siue per apta medicamenta, siue etiam per contraria. Cum qua potentia agnoscat coniunctam bonitatem, ut suos plus diligat, quam ipsi sentiuntur. Hinc porro confidit, cum sua prouidentia nihil statuisse, quod non dirigat ad ægrotantis salutem, siue statuerit, morbum, siue sanitatem.

XI.

Psal. 15. 4.

Aeneas Sylvius in hist.
Bohem.

Apoc. 7. 17.
8. 11. 4.
Ecli. 38. 9^a

4. Eger, dum credit, sperat; dum sperat, orat pro sanitate. Sed quia illi conscientia suggerit, non dignos esse, qui exaudiantur, Dei inimicos, cogitat de peccatis per penitentiam expungendis; iuxta illud: *Multiplicata sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt; cogitat de placando Deo; cogitat de inferni supplicijs, ad quæ, si comparentur omnes morbi, umbra sunt.* Wenceslaus Bohemiae rex, cum, toto exercitu profligato, & viribus fractis, captiuus teneretur, rogatus, *Quo animo essem?* Respondit: *Numquam meliore.* Cum enim, inquietabat, omnibus humanis praesidijs vallatus esset, vix de Deo cogitandi spatiis dabantur; nunc illis omnibus exutus Deum solum cogito, & in eo spem meam colloso, qui me, sat scio, non deseret, sed innocantem exaudiens. Ad eundem modum, qui negotiorum magna multitudine ac varietate distracti, animum ad sidera attollere non possunt, per morbos in lectulum coniecti, incipiunt ad se redire, vita fragilitatem, fortunam fugacitatem, humanam calamitatem, denique tristissimam damnatorum, & letissimam beatorum aeternitatem medicari. Hinc patientia exurgit. Hinc pia suspiria. Hinc sancti gemitus, & desideria illius regionis, in qua absenterget Deum omnem lachrymam ab oculis Sanctorum. Hinc antea actæ vita penitudo. Quamobrem, cum sapiens dixisset: *Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse te curabit:* mox adjectit: *Auerte a delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. Da suavitatem, & memoriam similaginis, & impingu oblationem, & de locum medico, non solum corporis, sed etiam spirituali: ipsi vero Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum, & sanitatem, propior conuersationem eorum.*

5. Inade vilescent terrena, cælum sapit, & extincto regnum caducarum amore, diuina appetuntur, quorum desiderio animus

animus ægri in ardore sit. S. Birgitta regis Sueciae filia, pro Algotio
Dominicano sacræ Theologiæ Doctore DEVM precata est, vt Sur. 13. Iulij
orbitate oculorum & calculi tormentis liberaretur. Sed hoc re-
sponsum accepit: Ille stella micans est, nec expedit, sanitatem corporis
obscurari animam eius. Certauit. & cursum consummavit: nihil iam
superest, nisi ut à me coronetur. Et hoc tibi signum erit quod ab hac
hora mitescent dolores corporis eius, læcim anima ei⁹ prorsus ardet igne
divini amoris. Non diu pōst Theologus ille è mortali vita ad im-
mortalem latus discessit, DEVM laudans, ob infirmitatem à
caelstis Patris sapientia, omnipotencia, ac bonitate, ad suam
maiorem coronam, clementissime ordinatam. Quo exemplo
monemur, ne nimis in morbo, vel pro nobis, vel pro alijs, anxij
simus. Nouit DEVS, quid quisque ferre valeat, vel quid ei profit.
Infinita sapientia non errat, infinita potentia debilitati nostræ
potest robur addere: infinita bonitas, nullum malum, nisi ad
bonum finem inferre.

6. Quod si quis vel per pharmaca hominum, vel per mi-
racula restauratus ad pristinum de inquietudine redcat vigorem
usque; etiam tum habet caussam DEVM amandi, eiq; se se gratum
ostendendi. Ita enim, cum venisset IESVS in domum Petri, vidit Matth. 8. 14.
socrum eius jacentem, & febricitantem: & tetigit manum eius, & di-
misit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis. Nimurum par-
est, vt qui valetudinem à D̄o receperunt, eamdem in eius serui-
tutem; non in vanitates impendant. Mulier illa, quæ à sanguinis
fluxu fuit sanata, Cæsareæ Philippi, ante domum suam, Christo
statuam æream posuit, in accepti beneficij monumentum. Cui
gratitudini & Christus vicissim gratus esse voluit. Nam ad eius
statuæ basin herba excreuit, quæ, ubi in eam altitudinem por-
recta est, vt fimbriam vestimenti eius attingeret, vim acquisivit
itidem sanguinis sistendi. Sic ærea imago, dum miraculum signi-
ficauit, & ipsa facta est miraculosa. Gratitudinem autem hanc
à Christo expectari, manifestè docent verba Christi. Decem lepra
coopertos mundauerat. Num autem ex illis, ut vidit, quia munda-
tus est, regressus est, cum magna voce magnificans DEVM, & cecidit
in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus. Re-
spondens autem IESVS, dixit: Nonne decem mundati sunt: & nouem
P P vbi

XIII.

Euseb. lib. 7.
cap. 18. & So-
zom. lib. 5.
cap. 21.

Lue. 15. 17.

298 Cap. XXIX. Decima tertia morborum causa,
ubi sunt? Non est invenitus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi
hic alienigena. Quæ obliuio beneficiorum adhuc reperitur in
mundo. Multi enim Christiani, multi Catholici, à morbis cu-
rantur, qui numquam Deo gratias agunt, pro valetudine rece-
pta; cùm tamen sèpe hæretici, sèpe ipsi Ethnici morbis liberati,
magno Deo Liberatori decernant honores; neque satis prædi-
care possint Sospitatem. Sed nimis, ut terra alia lolium,
alia triticum gignit, ita alij homines vitia, alij virtutes exercent,
quando vel ægrotant, vel ægrotare desinunt.

C A P V T XXIX.

Tertia decima morborum causa, quòd sint occasio vocationis
ad varia opera pietatis, & Passionis Dominice
in memoriam reuocanda.

I.

Plaut. Mer-
cat.
a. Cor. 12. 9.

S. Augustin.
lib. de Verit
Christi. c. 12.

Matth. 15. 36.



Pud Comicum ait nescio quis: *Age istiusmodi salutem,*
cum cruciatu que aduenit. Aliter loquitur Paulus, cuius
illa sunt: *Virtus in infirmitate perficitur.* Libenter igitur
gloriabor in infirmitatibus meis. Cùm enim infirmor, tunc poten-
s. sum. Quid ita? quia fortitudo nostra, inquit S. Augustinus, est in-
firmitatis in veritate cognitio, & in humilitate confessio. Fragilis est
homo; numquam melius fragilitatem suam, quam in morbo
videt. Hanc dum videt, non suis, sed diuinis viribus nititur.
Fit ergo tunc, diuina ope, longè fortior potentiorque, quam si
suis viribus nixus esset. Quas virtutes sob vlcere pessimo per-
cussus non exercuit? quantum patientiam Tobias non ostendit
afflictus cætitate? Quas tentationes morbis alij non subegerunt?
Quantam vitæ ac morum emendationem non instituerunt? quæ
vota ad Sanctos, eorumque templa atque altaria non conce-
runt? quantum vim pecunia & eleemosynarum in pauperes no-
effuderunt? Nec ipsis tantum ægrotis morbi profundit, sed etiam
ægrotorum ministris, qui nusquam magis suam erga proximū
ostendere possunt charitatem, immò & erga Deum, qui in no-
tiissimo die, dicturus est: *Infirmus eram, & visitasti me.* Quin &
suam, velut in speculo, intuentes imbecillitatem, desinunt se
circumspicere, aut corporis voluptates ita terminandas magni-
facere.